



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Eidem. XLVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

est ubi putet se affici obiectu specierum ,
quæ nusquam tamen extant. Itaque solici-
tudo hæc erga liberos etiam a seipsa pensum
exigit, idque non raro importunc. Cum ta-
men ad magnitudinem tuorum respicio
meritorum , atque in memoria hæret sedu-
litas, diligentia, opera tua: tum vero acqui-
escit animus in tua singulari beneficentia:
quæ ut sit perpetua , rogarem amplius , nisi
quæ iam scribebam , prohiberent. Vale vir
optime, ac vniuersæ familiæ nostræ patrono
bene meritissime. Idib. Octobr.

E I D E M . XLVI.

C V M crebris literis certior fierem de tua
singulari erga liberos meos pietate, per-
beatam iam esse familiam nostrâ iudicaui,
cuius gloria a ferocia militari ad animi cul-
tum diuini viri auspiciis transferatur. Non
igitur tibi præterea gratias agendum puta-
bam: tum quod semel apud bonos & sa-
pientes viros actum & decore & satis esse
existimabam, tum quod in immensum ex-
crescebat opus. Nam qui ad epistolâ meam,
quæ hoc genere officiū fungeretur , luculen-
tissimis humanissimisque literis respondis-
ses, quo magis augebas tua merita , co plus

L 2

nobis

164 IVL. CÆS. SCAL. EPI. XLVI
nobis adimebas facultatis ad mihi ipsi satis
faciendum. Sed neque ratus sum amplius
orari iam te oportere , ut tuum faceres per-
petuum beneficium. hoc enim de tua fide
nihil dubitanti mihi facere non licebat , &
prohibebat pudor: vt qui sponte hortarere
me ad omnia bona speranda, non videbare
dignus diffidentia mea. tum inopia ac ie-
iunitas orationis meæ monet me quantum
aggreedi, quatenus progredi mihi conueniat.
Quæ fuit cauſſa , vt & rarius ad te scribe-
rem , & cum scriberem parcus id face-
rem , quam mihi faciendum videretur.
Audeo enim haud tecum certandi studio
(quid enim ineptiam ?) sed vt sententia-
rum potius affectibus , significationem ha-
beant literæ meæ grati animi erga te nostri,
quam ornamentis atque cultu verborum
quærant apud te gratiam : quam frustra
prius sentiunt a seipsis esse sibi exigendam.
Quod cum per innumera immensaque
negotia , per impressam inhærentemque
barbariem non liceat , legitimam habeant
excusationem vel breuitatis , vel etiam si-
lentii. Vale.

SIMONI